AD


ILLVSTREM

D. PHILIPPVM

FVGGERVM

BARONEM IN KIRCOMBERG

ET VVEYSENHORN.





VERONÆ,

Apud Hieronymum Discipulum,

M D L X X X V.

AD ILLVSTREM D. PHILIPPVM FVGGERVM BARONEM IN KIRCOMBERG ET VVEYSENHORN.



O MIHI castalios fontes si fata dedissent
Ebibere, aut Pindi scandere posse iuga.
O si Parnaßi gelidis recubare sub antris
Possem cum Phœbo, Pieridumq́ choro:
Non ego Romanas acies, pugnataq́ bella
Sub Troia, aut Bacchum, terrigenasq́ feros;
Non diros canerem Lapithas, solisue labores;
Alcidem aut fortem, Mirmidonasq́ truces:
FVGGERE, sed nostris vellē te intexere chartis,
Insignem genuit quem generosa domus.
O te nascentem, placido quàm lumine vidit
Iuppiter omnipotens, in tua fata bonus.
Dat tibi Cecropios ridens Erycina lepores;
Magnanimi eloquium vertice nata Iouis;
Junoq́ diuitias; animos ad facta viriles
Egregia, inuictus qui mouet arma deus.

Mira

Mira tua eſt probitas, magna eſt clementia, caſti
Sunt mores; ſanctus relligionis honos.
Et facit ingenium, vultus & Apolline digni,
Te priſcos atauos iam ſuperare tuos.
Aſt ego quid faciam? cum ſim ſemotus ab oris,
Quas Aganippæus perluit amnis aqua.
Nec mea Palladia velentur tempora fronde,
Nec poſsim Aoniæ tangere plectra lyræ.
Et tua ſunt merita, ò procerum clariſsime, tanta,
Vt niſi diuina ſis celebrandus ope.
Si me deficiunt tanto ſub pondere vires,
Non de te ſileat Calliopæa cohors.
Te canet hæc ſemper, clarumq́; beabit Olympo,
Et firma nomen ſiſtet in arce tuum.
Non tibi præcipuè POLÆ facundia docti
Defuerit, memorans inclyta facta tua.
Huic dedit, auricomus, claria teſtudine, Phœbus,
Inuitis parcis tollere ad aſtra viros.
Iſte tuas celebri componet carmine laudes,
Et capiti nectet florea ſerta tuo.
Cum te ego non poſsim digna celebrare camœna,
Mens addicta tamen ſeruiet vſq; tibi.
Forſitan ac olim plectro maiore canemus,
Quæ nunc pertenuis dicere muſa vetat.

Tunc Phœbo aſpirante mihi, muſiſq; ſecundis,
Ediſcet nomen qualibet ora tuum.
Te noſcet quicunq; Tagum, celeremq; Garumnā
Ebibit, & Nılum, Danubiumq; vagum.
Teq; leget Medus, leget Indus, et vltima Thyle,
Et Quot[illegible] ſol [illegible]oriens, occiduuſq; videt.
Interea niſus noſtros ne ſperne benignus;
Nunquam contemnunt munera parua dei.

Petrusfranciſcus Toccolus Veron.